



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Soliditate Virtutis In Religioso Societatis Jesu requisita
Considerationes R. P. Gasparis Druzbicki, Societatis Jesu**

Druzbicki, Kaspar

Coloniæ, 1721

Dies II. De requisitis Virtutis solidæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60934)

sis: pondera, quanto pondere tendas ad ima, & infra ipsa inferna; & collige, quàm ponderosa solidaque opus habeas virtutum perfectione, ut illud pestilens pondus tuum ad ruinam allevies, atque subleves, & ad superna cœlestiaque attollas. Crede mihi homo, si id bene expendis, levicula virtute non esse tibi opus, nec qualemqualem perfectionem tibi sufficere, facilè concludes. Si solidissimæ quandoque virtutes vacillant & cœlorum virtutes moventur, tuæ imperfectæ perfectiones non corruent? Hoc igitur cavens & curans Societas, solidarum virtutum studium, omnibus perpetuò, perpetuumque commendat. Meritò id faciat? obaudire tu debeas? dispice, & tandem te seriò respice. Nulli magis incumbit, te solidè perfectum esse, quàm tibi; quia si fueris, hoc nulli magis proderit, quàm tibi; si non fueris, hoc nulli magis, nullique alteri oberit, præterquam tibi, ideo attende tibi.

D I E S II.

Quæ requirantur in virtute, ut sit solida.

1. Intentio pura seu caritas. 2. Humilitas. 3. Universalitas.

CONSIDERATIO IV.

Ad solidam Virtutem requiritur Intentionis seu Caritatis in Deum puritas.

Solidum dicitur illud, quod est spissum, & in quo nihil est vacuum, nihil permistum, nihil inflatum. Uter inflatus, arundo, & his si-

lia non sunt solida, quia etsi foris molem præferant, intus tamen habent inanitatem. Similiter aqua, aër, & alia fluida non sunt solida: quia etsi habent substantiam, non habent tamen spissitudinem & densitatem atque duritiem, soliditati requisitam. Itaque virtus solida illa dicitur, quæ est spissa, densa, inflexioni & evanescentiæ non obnoxia, tam plena intus quàm foris; dura & robusta, ponderosa, nihil habens admixtum peregrinum ac non suum, non obstrepera, non clamosa, solida enim non facilè sonant, &c. Hæc omnia ad virtutem solidam requiruntur; quæ quidem ut meliùs expendantur, ad pauca capita revocanda sunt.

Ac primò hìc expendendum est, solidam virtutem esse illam, quæ in caritate Dei fundatur, ex caritate Dei quæritur & paratur, caritate Dei perficitur ac fovetur, caritate Dei consummatur, propter caritatem Dei exercetur, defenditur, docetur, quæ caritatem Dei radicem, vitam animamque habet, quæ solum & solius Dei bonum, scilicet gloriam, exaltationem, gustum, beneplacitum, quærit, intendit, tuetur, solòque illo contenta est. Hæc est intentionis, quam vocamus, puritas, rectitudo, nuditas, quâ homo omne, quidquid cogitat, dicit, facit, omittit, omni actu corporis & animi, omni motu naturæ & gratiæ ad hoc unum dirigit, ut Deo bene sit, hoc est, ut Deus laudetur, æstimetur, ametur, glorificetur, super omnia exaltetur, quia dignus est, quia id illi debitum, id illi placitum, id illi gratum ac volitum, quia Deus homini

hominì

homini placet, & ut homo placeat Deo ; placeat autem, non quia placuisse Deo , bonum hominis est, sed quia placuisse Deo hominem, vult Deus; & quia placuisse Deo, ut sit homini bonum, itidem, & insigniter appetit Deus.

Hæc exposita sive caritatis sive intentionis puritas, est tota spiritualis vitæ sublimitas , proinde diligenter ponderanda est & cognoscenda in lumine veritatis, & conscientiæ voluntatiq̄ue committenda penitus ab omni illo, quicumque vult esse perfectus, & in virtute solidus. Quæ expositio intentionis atque exactio in ea puritatis, ne cui, ut assolet, exotica & spinosa, & fortè non ad mentem instituti videatur, eam ipsam in Reg. 17. summ: quæ immediata est huic, quam hîc de solida virtute nunc meditamur, ostendo, Regulamque expendendam propono. Sic igitur habet : Omnes rectam intentionem habere studeant, non solum circa vitæ suæ statum, verum etiam circa res omnes particulares, id semper in eis sincerè spectantes, ut serviant & placeant Divinæ bonitati propter seipsam & propter caritatem & eximia beneficia, quibus prævenit nos, potiùs quàm ob timorem pœnarum vel spem præmiorum, (quamvis hinc etiam juvari debeant) & in omnibus quærant Deum, exuentes se, quantum fieri potest, amore omnium creaturarum, ut affectum universum in ipsarum creatorem conferant, eum in omnibus creaturis amando, & omnes in eo, juxta sanctam & Divinam ejus voluntatem. Hactenus Regula, quæ meliori non indiget, meo judicio, interpretatione,

pretatione, quàm est in explicatione intentionis posita: sicut è converso, non desidero sensum intentionis explicatæ disertius exprimi, quàm est à S. Patre, in his Regulæ verbis enticleata. Neque desidero ullum gradum altiore puritatis in intentione, quàm est iste, quem S. Pater in Regulæ verbis explicavit, dummodo verba, prout prægnantissima sunt, penitissimè etiam intelligantur.

Ex his considerans colligat Primò, solidam virtutem non esse illam, in qua, qui virtutem virtutisve actum operatur, intendit commodum suum privatum; in qua placere volumus oculis alienis, non Dei, nec propter Deum; in qua aucupamur videri, gratiamve obtinere, æstimari, laudari, reputari; in qua illud istudve nobis aptum & commodum (nunc vel olim) venamur; in qua volumus effugere aliquid adversi; in qua satisfacere tantum omni officio & usui volumus, & facere, quod alii faciunt, contenti sumus. Isti enim virtutum fines non tantum non faciunt virtutem solidam, sed nè virtutem quidem esse sinunt, verum potiùs in malitiam illam detorqueunt, in sensualitatem, amorem proprium, superbiam, ambitionem, negligentiam, timorem humanum, tepiditatemque pervertunt.

Colligat 2. Solidam non esse virtutem illam, in qua quærimus malum aliquod declinare, etiam animæ nostræ, etiam futuræ vitæ, pœnas v, g. inferni, putgatorii, aut etiam peccatum, in quantum nobis præcisè malum est, & timorem, pudorem, pœnam, remorsum nobis adducit; non quòd
non

non sit utcunque bonum, hæc vitare velle, sed non est solidum.

Colligat 3. Solidam virtutem non esse illam, quâ quærimus profectum in virtute, meritum, beatitudinem hujus vel alterius vitæ, gratiæ augmentum, aliquòdve beneficium Dei nobis bonum; non quòd non sit bonum hæc velle & habere, sed quòd virtutes, quibus ista quærentur, non sint solidæ, non sunt enim in caritate, sed in spe fundatæ, nec ab amore amicitæ in Deum, sed ab amore concupiscentiæ erga ipsum hominem operantem procedunt: proinde aliquod creatum, aliquem amorem creaturæ immistum hæc virtutes habent, ideòque solidæ non sunt: non sunt enim solida, quæ sunt permista; præsertim si sint viliori permista, ut si massa auri immistam terram habeat, solida dici non potest.

Colligat 4. Solidam non esse virtutem, amare & quærere humilitatem, caritatem Dei atque proximi, patientiam, obedientiam, puritatem cordis, Martyrii palmam, sed neque, in his virtutibus heroicè quoad hominum oculos exerceri & proficere, si in earum virtutum studio, exercitio, profectu, id quærat & spectetur; si inquam, ob id amentur & quærantur, & exercentur, quia sunt insignes virtutes, grandes, magnam in cælo gloriam repositam habentes, Deo multùm placentes, in Scriptura, in Patribus, in sermonibus nobilissimè laudatæ, ab hoc, illòve Sancto, à B. Virgine, à Christo Domino insigniter exercitæ, & proinde, si etiam à nobis amentur, æstimentur, exercitentur,

possideantur, sint nobis summo honori & iuro in Christo futuræ, hæc, inquam, virtutes, hoc sine amata & habitæ, non sunt adhuc solidæ: neque enim in iis quæritur Deus solus sine nobis, sed quærimur nos ipsi & bonum nostrum, quæ nostrum. Appetuntur enim virtutes magnæ, quia magnæ; sed ipsa magnitudo earum ad nostræ magnificationem detorquetur; appetimus in gratia Dei crescere, quia in illa crescere nobis bonum est; appetimus excellere in amicitia Dei, quia in ea excellere bonum est magnum nostrum; appetimus puritate intentionis eminere, quia eminere in ea, est bonum nobis; appetimus penitus voluntati Divinæ conformari, & in eam transire atque transfigurari, quia hoc est sublime; quam sublimitatem apprehendimus, & consequenter appetimus nobis, quippe bonam nobis. Quod solidum non esse, palam est. Non dico malum id esse, absit, bonum est, sed solidum non est. Quid adhuc deest? porro unum est necessarium, scilicet pura & defæcata caritatis intentio; quærere nempe Deum, etiam in quærendo Deum; ut gratis colas Deum, ut neque bonum ullum supernaturale tuum, neque bonum Dei quæras, quia est bonum tuum, quia bonum Dei à te quæri, est bonum tuum, sed quia est placitum Deo, quia gustabile, quia honorificum Deo. Ut (juxta Reg. 17.) id unum semper sincerè in omni re, actione, motu tuo, interno, spiritali, supernaturali, particulari, spectes, ut servias & placeas Divinæ bonitati, propter seipsam, & propter caritatem; ut in omnibus quæras Deum, ut exuas

te

te amore omnium creaturarum, & ante omnia amore tuî ipsius, bonique tui cujuscunque, in quantum tuum bonum est; & affectum universum tuum in creatorem tuum, & creaturarum conferas juxta sanctam & divinam ejus voluntatem, hoc est, ideo, quia Deus ita vult amari, quia ita dignus est, quia ita illi placitum, gustabile, laudabile est à te amari; quia te pro eo mori & martyrio ornare, Deo debitum, placitum, honorificum est; quia te ejus in voluntatem transformari, & hac transformatione nobilitari, perfici, mereri, Dei voluntas, gustus & honor, & gloria est.

Hæc intentionis puritas, caritas est clarissima, peroptimum est, virtutis soliditas est, quæ foràs mittit timorem, foràs spem: non quòd non egeat interdum timore pœnæ, vel præmii spe juvari & erigi; sed quòd in soliditate virtutis, in perfectione caritatis, in puritate intentionis non debet includi.

Hæc qui consideras, sic considera, ut te in eis contempleris, & virtutem tuam ad illa explores; & quantum ab his illam abesse adverteris, tantum à soliditate abesse illam nihil dubitaveris. Consulo cuilibet, ut frequenter non in vita aut anno, sed in die inspiciat intentionem suam quoad hoc, ut sit defæcata ab omni creato bono, amore, & respectu, & præcipuè à suo proprio, esto occupetur circa bonum spirituale, idque sublime etiam. Hic verum est illud: *Pravum est cor hominis, &c.* Hierem. 17. 9, item illud: *Nunquid Job gratis colit Deum?* Job. 1. 9,

CONSIDERATIO V.

Ad soliditatem virtutis requiritur humilitas virtutis.



Virtutes ut sint solidæ, debent esse humiles: non humiles, id est, abjectæ, miseræ, imperfectæ, sed humiles spiritu, humiles sui contemptu, despectu, sepultura & oblivione. Solida enim ordinariè gravia sunt, & deorsum tendunt: si enim supernatant, apparet, aërea, ventosa & non solida esse. Sic virtus, quæ solida est, deorsum tendit, quæ vana est, supereminere appetit. Virtus solida, non videri, sed esse appetit: vana, non esse, sed videri, aut certè parum esse, multum statimque videri gaudet. Vasa etiam aurea, si sint vacua, supernatant lignea si plena sint, descendunt. Arbores fructibus carentes, sursum ramos erigunt; onustæ fructibus, ad ima eisdem demittunt. Ita ubique soliditas descendit, inanitas subvolat.

Ait scriptura, *Quantò magnus es, humilia te in omnibus.* Eccl. 3. 20. Quasi dicat, si magnus es, descende, & te demitte, ut quod es, esse non desinas. Magnitudinem tuam fac tibi humiliationis tuæ materiem &c.

Adhuc forte ambiguè rem propono, clarè igitur dico. Virtutes, ut sint Virtutes, oportet ut sint humiles, & virtuti humilitatis conjunctæ. Si enim conjunctæ humilitati non erunt, vanitates erunt

erunt

erunt : unde rectissimè ait Gregorius Romanus :
quòd *qui virtutes sine humilitate congregat, quasi
pulverem in ventum portat.* quæ verba non tan-
tùm sunt per concomitantiam intelligenda, quasi
cum aliis virtutibus humilitas etiam sit curanda,
sed etiam per quandam informationem (quan-
quam semper una Virtus est altiori connexa, &
veluti ejus forma aut coadjutrix, maximè quando
in gradu notabili est) ita ut omnibus aliis virtuti-
bus Humilitas quasi fundamentum, quasi custos,
munitio, quasi soliditas & condimentum, adjun-
genda necessariò sit. Id quod Bernardus excellen-
ter in una quidem Virginitatis seu Castitatis vir-
tute declaravit, sed ita, ut quod ille de una virtute
asseruit, hoc de omnibus virtutibus omnino æqua-
liter dicendum sit.

Penetrabitur hæc res, nî fallor, ex illustratione
exemplorum meliùs. Est Religiosus, cui firmum
propositum, excellere & perfectum esse in obedi-
entiæ virtute; propositum suum, etiam exequi co-
natur, intellectum & voluntatem suam exactè
conformat iudicio & voluntati Superiorum : idem
tamen hoc quod cupit esse, cupit etiam videri : id
est : perinde ut cupit & gaudet excellere inobe-
dientia, cupit etiam & gaudet opinionem haberi
de sua excellenti obedientia : quòd si parum obe-
diens putetur vel dicatur, tristatur statim & abji-
cit animum. quid huic deest ad solidam obedi-
entiam? dico deesse humilitatem obedientiæ : obedi-
entiam enim habet, sed superbam, humilem au-
tem non habet : nam si humilem haberet, non vi-

deri obediens, sed putari inobediens vellet, atque gauderet. Est alius, qui caritate proximi & zelo animarum ardet, laboriosus, strenuus, fervens, semper excubans ad lucra animarum, die nocteque accinctus; ad pauperes, ad fineta, ad nosocomia, ad carceres impiger; in iis semper legendis, quibus proximo profit aliquando, occupatus, dum vacat; docere rudes, pueros ignaros amat: idem tamen hoc de se sciri, sentiri, & dici quod est, gaudet & cupit; zelo carere, piger circa animas dici odit, tristatur, animo angitur & dejicitur, conqueritur. Hujus zelus & caritas proximi in quo deficit? deficit in humili zelo & caritate. Humilis enim zelus, zelus esse vult, sed videri non vult, immo non zelus, sed pigritia videri vult.

Est alius similiter zelosus sive animarum pastor, sive Concionator, sive Confessarius, sive Magister, sive Superior, & ita est, ut omnibus numeris absolutus esse in officio suo cupiat: idem tamen simul videri talis vult, & si non videtur, tristatur; si arguitur, & traducitur tanquam piger operarius, tanquam imparatus Concionator, tanquam languidus Magister, tanquam crudus vel inefficax, vel insuavis Superior; linguis talibus censurisque plus nimio penetratur, dolet, animum abjicit, de suo gradu & passu cedit, remittit; & cum videatur non esse, licet sit, vult re ipsa non esse, quoniam non esse videtur. Quid talibus deest hominibus? multum admodum, esto unum solum, nempe humilitas virtutis atque soliditas. quæ si adesset, resolutio illa turpis, & ignavorum, & impatientium, superborum, se
se

se in virtute & in actionibus quærentium propria non esset : sed potius contentus quisque esset testimonio conscientiaë suæ , testimonio veritatis , testimonio Dei. satis illi esset , esse; videri autem non cuperet , immo cuperet non videri , & doletet videri.

Est similiter alius , humilitati , patientiæ , mortificationi, sui contemptui deditus, in actibus talium virtutum assiduus , sed ita , ut simul gaudeat talibus actibus studiisque intentus videri , sciri , putari , dici : si verò non intentus his videatur , si superbus , amans sui , impatiens , immortificatus , vindicativus , passionatus , delicatus , commodis deditus &c videatur , ac judicetur , & Superioribus referatur , id ferre æquanimiter non vult , non valet , sed abjicitur , queritur , murmurat , purgat se ægrius , quàm par est. quid hujus humilitati , patientiæ , &c deest ? deest humilitas. Ipsa quippe humilitas debet esse humilis , quia verus humilis (patiens , mortificatus &c.) non vult humilis prædicari , sed vilis reputari : obediens quoque humilis , non vult obediens reputari , sed inobediens judicari : sapiens & doctus humilis , non vult sapiens & doctus dici , sed sapiens quidem & doctus vult esse , insipiens autem , imprudens , vel vult dici vel saltem æquanimiter fert reputari. Satis exemplorum est , plura considerans excogitabit , & sibi accommodabit.

Hæc est humilitas virtutis , sine quâ nulla est in virtute , nulla in ullo nostro bono opere soliditas. hac humilitate quantum carent nostræ perfectiones ,

nes, tantum & soliditate, hoc est, veritate carent. Vera enim virtus hoc differt à falsâ & imperfectâ, quòd vera velit esse, nolit videri, immo velit non videri; falsa autem nolit, aut non curet esse, velit autem & curet videri, doleat non videri; imperfecta autem, parum curet esse, plus verò curet videri, doleatque non videri. Unde solidissimum signum est non solidæ adhuc virtutis, velle videri, dolere quòd non videatur, gaudere quòd videatur, exhibere se videndam. solida virtus in fundo amat esse, non vult supernatare; quadrata est, non volatica, non inanis, non inflata, solius Dei oculis agnosci contenta, suis & alienis occulta, vilis, & modica, se ipsâ contenta, seipsam materiam humilitatis & humiliationis suæ facit; & licet maxima sit, maximam se non novit, non prodit; & licet honoretur, honorari se immeritò putat, supra meritum dicit, & ex animo dicit; honorari se dolet, ac tristatur, & erubescit, honorem hunc Deo tribuit, benevolentiam ignorantium adscribit, ipsâ verò ex illo nihil sibi decerpit.

Talis fuit virtus, (ut unicum & luculentissimum exemplum dem) *MARIÆ* Virginis. Virgo fuit, quàm ante partum, tam in partu, & post partum, iuit tamen ad purificandum se; & tanquam non virgo immaculata, sed puerpera immunda esset, se in templo stitit, atque mundationem legalem suscepit.

Vade Religiose, ad hoc speculum exempli & considerationis istius te dispice atque compone. Quantò magnus es, humilia te in omnibus magnitudini-

tudini-

tudinibus tuis, naturalibus, supernaturalibus, corporis, animæ, fortunæ bonis. Omnia bona tua sint tibi humilitatis materia, sicut arbori sunt fructus sui. Quantumcunque te dejeceris, humilior Christo non eris; quantumcunque te dejeceris, Mariæ humilitatem non superabis. Si unde humilieris, malum nullum habes, virtutes saltem, quas humilies, habes. Ama hoc exercitium, neque dimittas, nisi in eo, usque ad nauſeam tuam, temet affuefeceris.

CONSIDERATIO VI.

Ad solidam virtutem requiritur universalitas.



Non est etiam solida virtus, qualem esse requirit Regula in homine quolibet Societatis, si non sit Universalis. universalem virtutem voco hîc, non illam, quæ scilicet omnes omninò virtutes suo ambitu complectatur, vel quâ homo nulla velit virtute carere, nam et si & hæc quoque Universalitas virtutum in perfecto esse homine debeat, perfectum enim est, cui nihil deest, & virtus perfecta est, cui nulla pars nullusque gradus deficit, tamen hoc loco non ad istam virtutis universalitatem curandam Considerantem excito.

Est alia virtutis universalitas, quæ non omnes in se complecti debeat. Hæc autem melius elucescet
ab

ab exemplorum luce , quam à pluribus virtutibus petam. Sciendum est reperiri aliquos studiosos virtutum tales, qui ita alicui (uni aut pluribus) virtuti student, ut eam non curent ad omnem vitam, ad omnem actionem, ad omnem circumstantiam, olim sibi eventuram, acquirere vel accommodare.

Modestiam v. g. aliquis amat: sed amat tantum in publico, tantum in oculis superiorum & graviorum, tantum respectu periculosiorum objectorum; at in cubiculo, & extra arbitros, inter pares, ubi nullus censor, & criticus metuitur, in levioribus & à gravibus culpis remotis, & gestus fractos, oculos vagos, & aures patulas, & habitum incompositum, & incessum festinum aut levem, & alia incompositi animi corporisque indicia prodit, facile garrit, in risu ora dissolvit, levitates exercet, fabellas audit & narrat, curiosa sciscitatur, curiosè prospicit. In hoc modestia universalis non est, quia si universalis esset, ubique & respectu omnium locorum, personarum, temporum, occasionum, objectorum, membrorum, sensuumque esset.

Mortificationem passionum alius amat: sed amat & curat, tantum earum, quæ effrenatiùs se vulgo produnt, & faciliùs patent, ut iram impatientiamque; latentiores animi malos motus in se se dissimulat, ut ambitum, amorem proprium, æmulationem &c. Alius amat mortificationem passionum, & quandoque omnium, sed non nisi respectu certarum conditionum. v. g. frenat iram & timet videri impatiens à superioribus, vel ab iis à
qui

quibus id cognoscere possunt Superiores; aliis qui tales non sunt, facile & iracundè resistit, verba dura ingerit, increpationes & jurgia non fugit. Ambitiosus esse non timet, sed notari cavet, & ambitionem artificiosis palliis velat. Alius mortificationi passionum se studere ostendit, quamdiu ex minoribus, ut sic loquar, non excedit; ubi excreverit, curam illam relinquit, nulli cedit, omnibus suo iudicio par, facilis censor omnium, commeditatum amator, confusionis osor &c. In talibus mortificatio est, sed universalis non est: alligata enim est certis circumstantiis, non complectitur omnes. Inde tales suo tempore videntur ex bonis mali facti, qui non facti sunt mali ex bonis (quia nunquam fuerunt boni, semper autem manserunt mali) sed desierunt apparere boni, qui videri olim curabant; & inceperunt apparere mali, quod antè videri in se cavebant; cavebant autem, ne aut opinionem amitterent, aut promotione ad studia, ad gradum, ad officia exciderent. Obedientiam alius amat: sed tantum majoribus superioribus absque excusatione obedit; minoribus, & officialibus promptè se excusat, subducit, obstrepit, resistit. Alius obedit in uno, in alio non. Alius si ei tali modo imperetur, obedit; si aliter (puta imperiosius, morosius, crebrius, ab ingrato sibi, vel res ingrata, vel contempta, neque apparendi occasionem habens) non obedit, aut agrè obedit. In hisce omnibus dico, obedientiam non esse, quia universalis non est.

Indifferentiam alius amat, sed tamen moveri ab
hoc

hoc officio, loco, cubiculo, socio non vult. Illuc libenter vadit ad manendum, sed alium ad locum non item. Illi subesse gaudet, alteri se subesse posse (velle, dicere debuerat) negat. Hoc officium pro se esse, libenter se obiturum, illud non pro se esse dicit. Ad illos homines iturum, ad istos non iturum se asserit; hoc tempore, sed non alio: cum hoc socio, non cum alio, mansurum se, non iturum, iturum, non mansurum affirmat. Hæc se studia, tot annis, hoc in loco tractaturum, hoc gradu dignum, & contentum futurum, non alio dicit, re ipsâ facit. In hac indifferentia, est summa differentia ac propterea virtus nulla, quia & virtutis universalitas nulla.

Alia aliarum virtutum exempla non affero, facile illa diligens considerator ex propria depromet vel experientia vel conscientia. Dico tantum, quod jam dixi supra, virtutem solidam non esse, nisi universalis sit. Quod dixit Paulus de Caritate, *quia nunquam excidit*: hoc & de aliis virtutibus in hac vita dici potest, tales nempe esse omnes in nobis debent, ut nunquam à nobis excidant, non sint alligatæ virtutes nostræ locis, personis, occasionibus, temporibus, circumstantiisque certis, ita ut ad alias nos comitari non possint aut nolint.

Sub hac eadem universalitate inclusam cupio à studioso virtutum solidarum Religioso, etiam universalitatem graduum, qui in virtutibus esse possunt ac debent: ut nempe non sit contentus virtute ferente, & dissimulante imperfectiones etiam minutas, etiam virtutis non directè hostes. Minimos quos-

quosque defectus, minima fugere par est eum, qui solidarum virtutum studiosus est: *Non est enim minimum, minima peccata contemnere*, S. Bonavent. in prologo speculi. Immo verò minimæ virtutis est, & modicæ caritatis, minima contemnere: minima, inquam, sive vitia, ita ut non evitentur, sive virtutum complementa, Deive placita, ita ut curari exerceri que negligantur. Qui coram Deo magni esse appetunt, nullum Dei beneplacitum, nullum Dei, Religionis præceptum, atque obedientiæ præscriptum reputare debent minimum. Si enim reputaverint, magni coram Deo non erunt, cum scriptum sit. *Qui solverit unum de mandatis minimis, minimus vocabitur, in regno cælorum.* Matth: 5.9. Et meritò sanè, minimus erit talis coram Deo & in regno Dei, coram quo etiam Deus & voluntas Dei, (quæ ubique est, etiam in minimis maxima) non maxima, sed minuta & contemptibilis reputatur. Quisquis ergo solidam Virtutem cupit, is simul universalem cupiat ita, ut nihil, quod Deo placitum vel placiturum putet, (esto minimum appareat) contemnendum sibi, sed potius omni diligentia & applicatione conquiendum exercendumque putet, in minimis quippe perfectio; & perfectio, illa est, cui nihil deest: nam si aliquid deest, perfectio non est. Neque ille dici vetè potest, perfectam virtutem ambire, qui convincitur, universum, quod in se virtutis esse potest, non quærere. *Vide Ludov: de Ponte l. 5. in Cant: Exhor: 38. §. 3.*

Expende hæc, quisquis es virtutis solidæ ama-

tor & sectator; & ea ad imum cor demitte, ad illa te, affectus tuos, actus tuos, officia tua, virtutes tuas examina, neque fatigeris hac reflexionis curâ, quia nunquam sine profectu te laborâsse deprehendes. Ut nihil aliud fructûs referas, illud tibi solatio sit, quod Bernard: alicubi asserit: Tunc te non frustra scrutatus es, quando iterum scrutinio opus esse deprehendes. Multum profecit & effecit, qui hoc effecit apud se, ut intelligat se adhuc proficere debere, parum profecisse, parum solidæ virtutis habere.

D I E S III.

Ubi virtus solida paranda seu quærenda. Ubi exercitanda & perficienda. Ubi possidenda, & tanquam robusta atque securè solida, tenenda, inque usum revocanda?

C O N S I D E R A T I O VII.

Ubi solida virtus sit quærenda & paranda?



Ita præsens, vita est laboris, itineris, profectûs, mercatûs, negotiationis, Vigiliæ, pugnae. Illa ergo est campus, quærendæ, parandæ, exercendæque Virtutis, ac perficiendæ, & denique tenendæ ac possidendæ. Post hanc vitam, nec ratio, nec opus, nec consilium locum habet: